



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognascatur, an
munus aliquod temporale habeat rationem simoniacè dati pro re spirituali,
vel non habeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

talis personæ, quamvis ex pacto detur, quamvis ille, qui accipit, non indigeat hoc temporali tanquam sustentationis stipendio, cum ex suis patrimonialibus sufficienter instructus sit. Neque simonia est dare aut promittere alicui temporale aliquid per modum retributionis, seu compensationis, ut inducat alterum ad spirituale aliquid, ut si quis promittat infideli, se daturum temporale, si fidem veram suscipiat &c. neque enim in tali casu primum est, quod intenditur, rei temporalis cum spirituali comparatio, tanquam pretij convenientis, sed est liberalis donatio sub certo tamen modo, ad quem alter inuitatur, facta. Neque denique simonia proprie loquendo est absque pacto expresso vel tacito temporale pro spirituali dare vel accipere, cum possit in tali casu, tale quid admitti, ut eleemosyna &c.

§. II.

*Quanam circumstantia consideranda sint, ut cognoscatur, an munus ali-
quod temporale habeat rationem simoniacè
dati pro re spirituali, vel non
habeat?*

EX c. *Etsi quæstiones 18, l. 2,* habetur, quod in foro externo ex circumstantijs dijudicandum sit, an temporale, quod datur, simoniacè detur, maximè, si pactum intercesserit, & nulla causa subsit, ex qua cohonestari possit talis datio. Et hinc dicit Pontifex in cit. c. tria potissimum attendenda esse, ad di-
gnoſcendum, utrum gratuitò, vel per modum pretij temporale datum sit. Primò qualitas personæ dantis & recipientis, an sit dives, an pauper, nobilis an

ignobilis &c. (de illis enim gratuita donatio præsumi potest) ad quam præsumptionem multùm etiam iuvat vitæ integritas, morum honestas, vinculum amicitie &c. Secundò putat Pontifex considerandam circumstantiam quantitatis, magnum scilicet an parvum sit donum, respectu dantis & accipientis &c. ita tamen, ut facillius excusetur à simoniæ præsumptione, comestibilia, aut potabilia, in modica quantitate data, quam pecunia. Tertio denique considerandam putat Pontifex circumstantiam temporis, sive occasionem dationis, (si enim urgente necessitate temporale quid detur, ad subveniendum potius necessitati tale datum præsumitur, quam ad emendam rem spiritualem) utrum detur ante receptam rem spiritualem, vel in ipsa receptione, vel post illam receptam, ubi gratitudo locum habet. &c.

§. III.

Quotuplex sit pretium simoniacum?

TRiplex communiter in jure Simoniæ pretium asseritur, munus à manu, munus ab obsequio, & munus à lingua. Munus à manu censetur pro spirituali dari, non tantùm, quando ad hoc obtinendum pecunia, aut alia res materialis, sive mobilis illa sit, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporealis, uti sunt varia jura &c. datur, sed etiam quando debitum remittitur, aut solutio hujus differtur, quando mutuum datum, quando promittitur debiti